

## GEORGII ERNESTI STAHL,

MED. DOCT. ET PROF. PVBL. ORDIN. AC FACVLT. MEDIC. DECANI

## PROPEMPTICON INAUGVRALE

DE

## CASIBVS

## MEDICIS PRACTICIS.

**A**Ntiqua illa assertio, imo sacra, *nihil novum fieri sub sole*, quantumlibet aliena interpretatione velut in dubium adduci posse videri queat, certe tamen, si vel paulo laxius sumatur, aut, abstrahendo a pure *artificialibus* effectibus, de his potius, quae *natura*, & mentis propensione simpliciore, perpetrantur, tuetur omnino dignitatem suam, ut passim quidem *aliter* aliquid fieri, sed non *aliud*, rem exquisitius perpendentibus satis dilucescat. Quamvis autem etiam res *artificiosas* ex aliqua parte bono iure excipiamus, minime tamen illae quoque ita simpliciter eximendae sunt ab hoc censu, quin passim satis clare appareat, quod etiam *artificiosae* res non omnes totae quasi primo *prodire*, sed, nudis *schematismis* variatis, denuo *redire*, agnosci possint potius, quam vere simpliciter novae emergere. In rerum certe *materialium* republica, quae, secundum magnam illam *σύνασιν*, mutuis concursibus, successibus, cooperationibus, velut in scenam prodeunt, valet hoc certissime, quod nusquam sincere *prodeant* ut *novae*, sed *redeant* solum, ut *de novo*. Et licet harum aliquae etiam revera *raro* obtingant, comparatis tamen inter se antiquis monumentis, satis passim dilucescat, quod etiam iam a priscis temporibus eadem facta sint, aut plane haec ipsa fuerint, sed inventa solum serius, aut animadversa, *videantur* hoc  
respe-